

Commentationis Ad Locvm Pavli Ex Libro IIII. Ad Sabinvm Qva Cap. III. De Svpellect. Leg.

Buetzovii: Stanno Io. Gotth. Fritzii, [1764]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn888678088>

Druck Freier  Zugang



Universität Bützow
Jur. Fak. 1764
Trendelenburg/Engelcken

Bützow 107

1521/11

COMMENTATIONIS

AD LOCVM PAVLI

EX LIBRO III. AD SABINVM

QVA

CAP. III. D. DE SVPELLECT. LEG.

INTERPRETARI CONATVR

ADOLPH. FRID. TRENDELENBVRG

AA. LL. M. PHIL. ET I. V. D. ANTECESS.

ICT. ORD. H. T. DEC. SOCIET. TEVT.

HELMSTAD. COLLEG. HONOR.

SPECIMEN PRIMVM

CONTRA DISSIDENTIIVM

OBIECTIONES

PVBlice DEFENSVM

AB

HENRICO ASCANIO ENGELCKEN

ROSTOCHIENSI

AA. LL. ET I. V. CVLT.

A. O. R. 1864. A. D. III. IDVVM MARTII.

BUETZOVII

STANNO IO. GOTTH. FRITZII. AVL. ET ACAD. TYPOGR.

1764

LECTORI S.

Quod diu multumque & ab eo inde tempore, quo hanc AL-
MAM FRIDERICIANAM ingressus sum, ex animi senten-
tia non optavi solum, sed & summa, qua quidem fieri
a me potuit, opera efficere studui, ut non modo consuetis illis re-
citationibus quotidianis eos docerem, qui putarent posse quid
utilitatis ex voce mea & qualicunque institutione ad erudien-
dos ipsos proficisci, sed & alio modo ipsis prodessem & imprimis
quidem, ut haberem scholas Graecorum more a) tales fere,
quales ARCESILAM habuisse accepimus, b) quibus nec solus ego
loquerer, nec illi semper & vnice audirent, sed nos omnes
quasi aequali iure colloqueremur, & omnes docere pariter ac
discere videremur, hoc post tot inanes conatus & frustraneos
labores tandem me perfecisse insigniter laetor, quum fuerint
Viri praenobilissimi, omni virtutis, morum, ingenii, doctrinae
elegantia & laude ornatissimi, HENRICVS ASCANIVS ENGELCKEN
Rostochiensis, qui iam publice ex Gymnasio nostro prodit in ca-
thedram, CHRISTIAN. HENR. KARSTEN GUSTROVIENSIS, Optimi
Collegae & iunctissimi frater, FRID. GVIL. HARTWIG BUETZO-
VIENSIS, GVIL. AVG. RVDLOFF Rostochiensis, FRIDER. MENKEL
Sue-

a) de hoc genere scholarum
elegantissime exposuit Vir Ex-
cellentissimus Cl. IO. DAN.
OVERBECK Musarum Lubecen-
sium Decus, in §. 16. eius libel-
li, quem de hac re singulariter
scriptum nominabimus infra
ad §. IV. not. 1. Hunc Virum
autem dum nomino, non pos-
sum quin dilectissimum Eum
mihique carissimum & ad ci-
neres pie colendum publice
profitear, quippe quem a pri-
ma adolescentia video princi-
pem & ad suscipiendam & ad
ingrediendam rationem ho-
rum studiorum mihi extitisse,

quod ipsum pulcrum mihi per
omnem vitam duco, & id
maxime contendo, ut nec
Tanti Viri institutione plane
indignus videar, nec ipsum
studii olim in me formando &
erudiendo impense collati
poeniteat.

b) Is enim auctore TVLLIO de
fin. bon. & mal. L. 2. c. 1. §. 2.
instituit, ut ii, qui se audire
vellent, non de se quaerent,
sed ipsi dicerent, quid senti-
rent. Quod quum dixissent
ille contra. Sed qui audie-
bant, quo ad poterant, defen-
debant sententiam suam.

Suerinensis, qui iuncto fratre dilectissimo AVG. THEOD. TRENDE-
LENBURG Strelitzienſi inuitationibus meis tam publicis, quam
priuatis ad huius generis exercitia inſtituenda excitati me adi-
rent hoc conſilio, vt me moderatore binis ex ſingulis ſeptem die-
bus de rebus grauiffimis ex iure noſtro & naturali & ciuili in-
ter ſe diſputarent. Quo quidem liberali conſilio quum adce-
ptius nihil nec iucundius quidquam mihi contingere potuerit,
putaui me id maxime in Praeſtantiffimorum Commilitonum com-
modum & emolumentum directurum, dum ſuaderem eos, vt in
ordinandis his ſcholis hanc inirent rationem, qua in tuendis &
impugnandis quaefſtionibus controuerſis pro libero cuiuslibet ar-
bitrio propoſitis, & dialecticorum regulae de diſputandi arte cu-
ratiffime obſeruarentur, & caſtae latinitatis ſumma ratio habe-
retur, & ipſarum quaefſtionum materia curatius examinare-
tur, vt quid verum iis inſit vel falſum perſpiceretur. Haec
igitur ſumma lex eſt noſtrae ſocietatis, vt quid verum ſit id
omnes ſcrutemur, ſequamur, & quid quiſque pro vero habeat
id recte, rite, ordinate, concinne, eleganter, nec confuſe nec
barbare proferat, haec inquam lex omne inter nos punctum tu-
lit, hanc omnes iuſſimus, huius omnes auctores facti ſumus,
hanc ne rogaffe quidem ego ſolus, ſed nos omnes quaſi vno ore
tuliffe videmur. Custodem autem ſanctiffimae huius legis me
maxime voluerunt Viri iuuenes eſſe, ita, vt ſi quid forte a quo-
uis diſputantium contra eandem commiſſum eſſet, id ego mone-
rem & corrigerem. Cuius rei tantae, licet enim CICERONIS
verba in re non abſimili, c) mea facere, tamque difficilis facul-
tatem confequutum eſſe me non profiteor; ſecutum eſſe prae
me fero.

Primus autem ex muſeolo noſtro in publicum prodiit,
qui ipſe diſputationum noſtrarum inter priuatos parietes ini-
tium fecit, Vir doctiffimus, dilectiffimus mihi & cariffimus
ENGELCKEN, qui ipſe quum cap. 3. D. de ſupellectile legata ad
diſputandum proponeret, qualicumque huic commentatiunculae
occaſionem praebuit. Quum vero ipſum illud caput ampliorem
deſiderare videbatur explicationem, quam quae pauciſſimis in-
cludi poſſet pagellis, conſilium cepi vberiore paullo parandi
com-

©) quae ſunt in Lib. I. de nat. Deor. c. 5. ſ. 12.

commentationem. Rationem autem huius commentationis eius-
que dispositionem proxime indicabimus. Vt ne vero desit dispu-
tandi materia & copia, placuit Praenobilissimo defensori, hasce
adiungere

Quaestiones controversas
quas itidem opponentibus ad discutiendum offert.

- I. Ne vis fiat VLPiani verbis in *c. sed si quid. 15. §. sed nec 7. in fine D. de Vsufr. & quemadm. quis ut. fruatur.* Nam qui post IO. IENSIVM in *Strictur. ad Iustin. Cod. & Pand. p. 49.* aliter sentiunt cum VAN ECK in *Princip. Iur. Ciu. d. tit. §. 25.* BYNCKERSHOECK *L. I. Obs. c. II.* VOORDA *Elect. c. 10.* WOLBERS *Observ. quas adiecit PETRI DE TOULLIEU Collectaneis Gron. 1737. a se editis c. 6. ii nihil sentire & recte videntur* Clar. PÜTTMANN in *Interpret. & Observ. c. 22. extr. p. 101.* Neque vero probanda videtur interpretatio IO. STECKII in *Vindicationibus legum anti-criticis. c. 5. in Thes. EV. OTTON. T. I. p. 512.* nec alia LVD. VITALIS *Lect. Variar. L. 2. c. 8. in dict. Thes. T. 2. p. 660.* quam utramque reiecit IAC. GOTHOFREDVS in *Animaduers. Iur. Ciu. c. 5. in eodem Thes. Tom. 3. p. 276. sqq.* qui tamen nec ipse satis rem perplexit. Singulare programma IO. FRID. HERTEL *de Iuris Rom. subtilitatibus in specie l. 15. §. f. de Vsufr. non ridendis. Ien. 1738.* non vidimus.
- II. Absit omnis correctio aut interpolatio verborum SCAEVOLAE in *cap. controversiae 14. D. de transact.* quum per ellipsin cum IVSTO ZINZERLINGO, FR. HORDLEDERVM sequuto in *Comment. noua ad L. periculi pretium 5. D. de nau. foen. Tom. 5. Thes. OTTON. p. 1475. in f. sq.* vel alia commoda ratione a IAC. VOORDA *Elect. c. 1.* demonstrata recte ea interpretari possimus.
- III. Quasi-vusufructus seruitus plane non est, sed quasi-seruitus.
- III. Errare videntur, qui cum turba Doctorum adserunt: Litis contestationem semper & per se mutare bonam fidem possessoris in malam. Fieri quidem potuit, maxime apud Romanos olim, vt eleganter docet BYNCKERSH. *Lib. 8. Observ. c. 12.* & hodie fieri potest, vt post litis contestationem bonae fidei possessor constituatur in mala fide, sed sicuti hoc potest in qualibet alia iudicii parte accidere, ita dici non potest per ipsam litis contestationem id effici.



COMMENTATIO

AD LOCVM PAVLI

EX LIB. III. AD SABINVM

IN

CAP. III. D. DE SVPELLECTILE LEGATA

CAPVT I.

IN QVO

EXPLICANTVR VARIA SVPELLECTILIS
GENERA ET NOMINA QVORVM IN HOC
LOCO MENTIO FIT.



Quum iam omnis disputatio futura sit de re-
sta & curata explicatione fragmenti il-
lius PAVLI, quod ex *Libro III.* ipsius *ad*
SABINVM seruarunt nobis Digestorum compilatores in

a

cap.

cap. 3. *D. de Supellectile legata*, naturalis ratio postulare videtur, vt ante omnia de iis supellectilis generibus & nominibus exponamus, de quibus *PAVLVS* noster hoc loco disputat, ne quid obscuritatis capiat commentatio nostra, tam ex omiſſa interpretatione nominum ob antiquitatem partim incognitorum, quam ex neglecta descriptione formae rationisque huius supellectilis, quae ex ipsa antiquitate curatius eruenda est, quum in his iisdem rebus saepissime & maxime recondita quasi lateat ratio controuersiarum circa supellectilem apud Romanos ortarum, ex iis ipsis ideo dirimendarum & diiudicandarum. Quare & hoc qualicumque conatu ostendamus, verum esse, quod dixit *BRISSENIUS* a) *pandectas antiquitatis promtuarium merito adpellari posse*. Neque vero putet quis velim, aut arroganter hoc a me dictum esse, quasi iactitarem me velle incognita, nec antea iam disputata & plane noua proferre, quomodo enim hoc in exponendis rebus antiquissimis fieri & maxime a me quidem potest? qui insigni quidem antiquitatis amore captus discere a viris doctissimis & quae didici proferre, quam eruditos homines noua docere & inaudita iis videri malo, aut, ne quis credat, velle me omnem supellectilem romanam describere, quod nec paucarum plagularum negotium est, & vires meas qualescunque, lubens fateor, longissime superat. Hoc potius vnice mihi sumo, vt de iis tantum supellectilis generibus & formis, quarum in hoc capite nostro mentio occurrit, quaedam disputem, quae maxime mihi

a) in *Lib. 4. Select. antiquit. c. 14.*



mihi videantur notatu digna esse, nam ne de his quidem omnia persequi mens est, idque eo quidem consilio suscipiam, ut praemittam ea, quibus deinceps in dirimendis Ictorum controuersis de his rebus uti velim, quum hoc rationi conueniens videatur, quae vetat, coniuncta diuellere & dissecare connexa, & iudicare ex iis, quae si habeant aliquid difficultatis, antea exposita & disputata non sint. De ipso autem dicendorum ordine parum sollicitus putavi maxime conuenire, ut in explicandis his rebus sequerer ordinem, quo ipse *PAVLVS* eas enumerauerit.

§. I.

DE MENSIS.

Primum igitur de *mensis* dicendum est, quum primo loco eas nominauerit *PAVLVS* inter ea, quae suppellectili legata continerentur. Originem huius vocis aliam *VARRO* a) exhibet, quam latius explicat *CHARISIVS* b), aliam *ISIDORVS HISPALIENSIS* c), quarum

a 2

ele-

a) qui in *L. 4. de Lingua lat. c. 25.* ita: *quod a nobis media, & a Graecis μέσσα mensa dici potest.*

b) *CHARISII* locum I. p. 43. descripsit & emendauit *ο πένυ* *GESNERVS* in praestantissimo *Opere noui thesauri Ling. lat.*

f. v. *mensa*, ex quo intelligitur *VARRONEM* *mensam* sine *n* littera dictam perhibuisse, quod *media* poneretur, sed & cum *n* dici posse, quod & *mensa βρωτά* (ita legit pro *ἄβρωτά*) *edulia* & *esculenta* ponerentur.

c) in *Originum Lib. 20. c. 1.*



electionem damus criticis doctoribus. Nos quidem, nomine praetermisso, de ipsa re pauca differamus. Mensarum autem apud Romanos multiplicem usum, perinde ut apud nos, varia earum genera effecisse, ideoque & varia nomina produxisse quisque satis intelligit. Nam sunt & trapezophora & delphicae, de quibus post dicemus, mensarum genera. Sed nec fugit quemquam, certe fugere non debet elegantioris iurisprudentiae studiosum, quid *CONSTANTINO* Imperatori sint *mensae oleariae* d) postquam eleganter id docuit post fata etiam immortalis *IAC. GOTHOFREDVS.* e) Nos vero hoc loco haec, ut reliqua, quae de varia vocis *mensae* significatione disputari poterant, f) omittimus, quum satis adpareat, *PAVLO* nostro imprimis sermonem esse de mensis escariis, quarum usus est in coenando. Sed ne hac quidem ratione unus est semper idemque huius vocis sensus. Primum enim mensae dicuntur tricliniariae illae, & communes seu tabulae maiores, quibus, cibus iis impositis, discumbere solebant romani; qui significatus maxime notus est, & vulgaris, quem & hodie huic voci tribuere solemus. Has mensas *escarias* di-

d) in *cap. vn. C. Theod. de mensis oleariis. Lib. 14. Tit. 24.*

e) in *Comment. ad illum locum Tom. V. Editionis Ritterian. p. 294. al. 263.* cum quo conferri meretur quem ibi non nominavit *SALMASIUS de Usuris c. 19. p. m. 557.*

f) & ante nos disputata sunt a *GESNERO* loco, quem diximus, imprimis *n. 6. 7. 8.* addi potest *BRISSEON de Verb. Signif. l. v. mensa. n. 2.* ut & *GOTHOFRED. & SALMAS. locis, quae diximus.*

dictas esse *FESTVS* g) auctor est. *VARRO* h) autem a cibo *cibellas* etiam nominatas dicit, vterque vero quadratas eas olim fuisse cum *PLINIO* i) tradit, quas postea rotundas factas esse *VARRO* narrat, qui eandem quoque formam vinariis mensis tribuit. l) Fuisse has mensas non multum eleuatas, vt cibi vel in eadem libella vel non multum certe altius positi fuerint, quam essent lecti discubatorii, & ex ipso discumbendi more notissimo conici potest, & ex veteribus formis tricliniorum apud *MERCVRIALEM* & alios ab attentissimo antiquitatis scrutatore *GESNERO* m) obseruatum est. Plura de harum mensarum forma & materia collegerunt viri docti *THOM. DEMPSTERVS* n) *GUIDO PANCIROLLVS* o) eiusque commentator *HENR. SALMVTH* p) qui & multi sunt in mensarum ornatu recensendo, de quo etiam, vt alios omittamus, q) concinne differit Gallus pereruditus *d'ARNAT* r), depictam quoque talem mensam vbi inuenire possis indicat *IAC. GOTHO-*

a 3

FRE-

g) *de Verbor. Signif. l. v. Escaria.*

h) loco, quem diximus antea.

i) in *Histor. natur. L. 33. c. II.*

l) *L. 4. de L. L. c. 26.*

m) in notis ad *PLINII Lib. 5. Epist. 6. not. 37.*

n) ad *IO. ROSINI antiquit. roman. corpus L. 5. c. 26.*

o) *Rer. memorab. s. deperd. Lib. I. Tit. 51.*

p) ad locum, quem diximus, p. m. 246.

q) Omittendi tamen non sunt *BVRMANNVS* & quos ille collegit interpretes ad *PETRONIVM* c. 31. sqq. vbi *Trimalchionis* coena describitur.

r) in libello germanice verso: *vom Privat-Leben oder der taeglichen Lebensart der Roemer. c. 3. p. m. 97.*



FREDVS s). Quam maxime autem Romani a frugalitate antiquissimorum temporum in singulari mensarum quoque luxuria recesserint vel sola Ictorum nostrorum fragmenta in Digestis obuia t) satis testantur, vt iure suo IUVENALIS u) poëta cecinisse videatur :

- - - Vna comedunt patrimonia mensa,

quo loco an citream mensam intellexerit, vt vult Scholiastes, iam non disputamus. v) Certe has maximi pretii fuisse constat, quarum & PAVLVVS noster alibi x) mentionem fecit. Dein mensas dictas quoque esse discos illos, vel quadras minores singulis conuiuis destinatas, vt suam sibi mensam vnusquisque conuiuator haberet, obseruarunt viri docti. y) Quid ergo mirum,

ipfas

s) Qui in Comment. ad cap. vn. C. Theod. de Castrensianis Tom. II. Edit. Ritt. p. 227. al. 230. auctor nobis est esse talem mensam in Notitia Imper. fol. 59. depictam.

t) Ex multis pauca nominabimus, vt c. cum in testam. 28. D. de auro argent. vbi inveniuntur mensae argenteae, c. cum ab eo. 41. §. mensam. 1. D. contrah. emt. vbi sunt argento coopertae, c. quaestum est 12. §. proinde 28. & §. Idem respondit. 43. D. de instrum. leg. vbi eborae occurrunt. Adde ex ipso capite nostro, quod iam explicamus §. Vitrea. 3. & c. le-


gata supellectili 9. §. Supellectilis I. huius tit.

u) Satyr. I. v. 138. quem huc trahit BRISSON. de Verb. Sign. f. v. mensa.

v) ad finem tamen huius §. dicemus, quid nos quidem sentiamus de hoc loco.

x) c. si sterilis. 21. §. quamuis. 2. D. de action. Empti & Vend. ad quod multa GOTHOF. de his mensis & de PLINII loco Lib. 13. H. N. c. 15. ex CUIACII quoque opinione L. 2. Obs. 5. emendando disputat.

y) GESNERVS loco, quem supra laudauimus n. 5. vbi prouocat ad BYRMANNVM ad PETRON. c. 34.



ipfas lances seu patinas quoque, quod tertio loco notamus, mensas nominatas esse a veteribus; id quod eo magis credimus *GESNERO* summo viro id observanti z), quo facilior inde fit explicatio eius, quod apud *PLINIVM* a) legimus, ubi dicit: *iam vero & mensas imponimus repositoriis*, quae ipsa paullo post *non multo maiora, quam mensas* b) olim fuisse dicit, qui idem auctor nobis est, easdem has lances & stateras *FENESTELLA* iuvene vocatas esse *tympana*, & antea *magides* dictas esse. Porro & ipsa illa repositoria, quorum etiam in libris nostris c) fit mentio nomine mensarum comprehendendi obseruat elegans *ICTUS* Italus *AVERANIVS* d). Erant autem repositoria illa instrumenta ad formam mensarum fere facta, quibus imponebantur lances, quae his ipsis adponerentur mensis & tollerentur. Multus est *PLINIVS* e) in describendis illis, eaque dicit paullo ante *FENESTELLAM*, qui obiit *TIBERII* Caesaris principatu, lignea, rotunda, solida fuisse, nec multo maiora quam mensas i. e. lances, vt diximus, illo quidem puero quadrata & compacta aut acere operta aut citro cocpisse. Mox additum argenteum in angulis, lineasque per commissuras.

z) ad *PLINII* L. 5. *Epist.* 6. n. 37.

a) in *histor. nat.* L. 33. c. 11.

b) Quo certe posteriore loco mensae nihil aliud possunt, quam lances seu patinae esse, si vel maxime etiam quis velit cum *AVERANIO* doctissimo viro in *Interpret. Iur.* L. 5. c. 23. n. 3. *Tom.* 3. *Edit. Lugd.* de

a. 1753. p. 264. in priore loco mensas intelligere ipsos cibos mensis impositos.

c) Vid. c. cum aurum 19. §. sed cui vasa 10. D. de auro, arg.

d) loco, quem paullo ante laudauimus n. 6. p. m. 267. sqq.

e) loco, quem saepius diximus.



ras. Denique etiam testudine vestita, quod *CARBILIUS POLLIO* instituit. f) Idem ergo tale repositorium esse, & recte quidem, vt mihi videtur, *AVERANIVS* putat, ac id quod vterque *PLINIUS* g) gustatorium vocat. h) Neque vero cum viro doctissimo alio sensu *PLINIUM* maiorem hac voce vsum esse credo, quum *in conuiujs mensisque nostris*, ait, i) *vasa*, quibus *esculentum additur, sudorem repositorijs linquentia diras tempestates praenunciant*. Nam quod putat l) Vir elegantissimus, repositoria ibi thecas ipsas vasorum, seu vt ego quidem intelligo, opercula esse, id minus conuenire videtur. Opercula enim vasorum (haec enim per thecas intelligere videtur) non possunt sudore quodam madida non esse, si ipsa vasa continent esculenta feruentia, quippe quorum vapor efficere necessario debet, vt sudorem operculis linquant. Neque adeo hebetem & stupidum mihi fingere quemquam romanorum possum, qui hoc, quod

f) Vt idem *PLINIUS* auctor est *Lib. 9. hist. nat. c. 11.*

g) scil. *PLIN. MIN. Lib. 5. Epist. 6.*
& *PLIN. MAIOR Lib. 28. hist. nat. c. 2. prope fin.*

h) Paulo aliter videtur *GESNERVS* ibi gustatorium pro lance adcipere. Sed dissensus hic, si quis est, facillime componitur. Nam quemadmodum mensae nomen commune est & lancibus & repositorijs, ita repositoria quoque magidas a

POLLUCE vocari obseruat *AVERANIVS*, vt ideo facillime fieri potuerit, vt & hoc nomen commune factum sit stateris & repositorijs. Neque ipse *GESNERVS* in *novo thes. s. v. gustatorium* negat illud esse eiusdem generis ac repositorium, & repositorio, quasi substantiuo, adiici.

i) *Lib. 18. hist. nat. c. 35. extr.*

l) *AVERAN. l. c. n. 6. p. m. 269.*

quod semper & naturali ratione, eaque adeo aperta & clara accidit, quasi singulare quid & praefagium futurae tempestatis adciperet. Sed si vasa illa sudorem linquebant ipsis repositoriis, quibus imposita, non quibus operata, erant, hoc quum raro fieret, licet naturali pariter ratione, superstitiose putabant praenunciare diras tempestates. Cui similis certe, nescio an non forte eadem quoque, superstitio vulgo nostro sedet. m) Aliam certe non absimilem superstitionem romanorum n) idem *PLINIUS* narrat. Hoc rectius observavit vir egregius tale repositorium lancibus & dapibus plenum *ferculum* etiam a *ferendo* dici, o) licet nolim cum ipso in locis veterum auctorum ab ipso indicatis p) *fercula*, ut vulgo solent hodie, pro singulis
b da-

m) Ita dubitanter scribentibus nobis adcessit auctoritas Viri Illustris Senioris nostri ERN. IO. FRID. MANTZELII, mea quidem laude longe maioris, & perquam multis nominibus patris instar pie mihi colendi, qui sua fide iubet scribere certe, eandem superstitioem & nostrorum hominum esse.

n) qua bibente conuiuia mensam vel repositorium tolli inauspicatissimum iudicabant. *PLIN. L. 28. hist. nat. c. 2.* vbi multa similia. Conf. *GONSAL. ad PETRON. c. 33. p. 117.* Edit. *BYRM.*

o) Quod probari potest ex *FVLGENTIO de prisco serm. ad CHALCID. vbi n. 42. Ferculum* interpretatur *missum carni-um*. Adde *Vet. Scholiast.* ad *HORAT. Lib. 2. Serm. 6. v. 104.* in Edit. *GESNERI p. 469.*

p) Alter locus est *SVETON. in Aug. c. 74.* vbi ita: *coenam ternis ferculis, aut, cum abundantissime, senis praebebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate.* Quo loco *fercula* non singulas dapes, aut lances, sed integra repositoria totam fere mensam tri-



capibus seu lancibus adcipere. Denique quum maxime vsitata fit continentis & contenti, quod dicunt, inter se permutatio, nemo mirabitur, quo factum sit, vt & ipsi cibi mensis impositi romanis *mensae* dicti sint, q) quo sensu rectius forte adcipitur vox mensa in versu illo *IUVENALIS* r) supra exscripto. Mittimus quae hoc loco apte poterant a nobis de mensae honore & iure disputari, quale duplex in iure nostro notari meretur, alterum mensae regalis ius, pro quo certo modo definitum erat, quatenam personae ad imperatoriam mensam admitterentur s) alterum, quod & in priuatis hominibus seruabatur, cui singularem nos apud Romanos manumittendi modum debere, ne dupondiis qui-


cliniarem occupantia, integros missus, *ganze Gaenge*, vt nos loquimur, intelligenda puto, dum cogito de luxuria eorum temporum, pro qua id certe in imperatoria mensa non pro nimio sumtu sed parsimonia haberi debebat, contra vero tres lances, quae hodie vix cui mediocriter opulenti sufficiunt, in Imperatore & illis quidem temporibus non frugalitatis laudem, sed summae auaritia vituperium merebantur. Alter locus est *IUVENALIS* *Sat. I. v. 94.* ubi *septem fercula* ponit in

summo luxu, quod itidem contrarium foret luxuriae istorum temporum si pro interpretatione *AVERANII* septem lances tantum quis intelligere vellet.

q) Quod probat latissime *GESNER. nov. thes. v. mensa. n. 4.*

r) *Sat. I. v. 138.*

s) cuius initia iam *AVGVSTI* temporibus nata inuenimus apud *SVET. in Aug. c. 74.* Differit de hoc iure pro more suo elegantissime *IAC. GOTHOFER. ad c. vn. C. Theod. de comitibus & tribunis scholar. Tom. II. Edit. Ritt. & al. p. 98.*



quidem ex veterum Ictorum t) fragmentis incognitum est. Hoc tamen adiicere licebit, quod apte in vtrumque illud ius *PLINIVS* u) scriptum reliquit: *cunctis rebus exaequo, quos mensa & toro aequani.* Quae quidem non ita intellexisse *PLINIVM*, quasi hoc modo manumissi optimo iure liberi & ciues romani facti essent, quum per Legem *Iuniam Norbanam* latinis colonariis exaequati sint, v) vel ex iis adparet, quae adiicit: *Etiamne libertos? Etiam. Conuictores enim tunc, non libertos puto.* Quibus satis declarat, qua ratione exaequatos dicat, quos mensa & toro aequauit. Sed poterat quis etiam ipsa illa verba curatius scrutari, quum dixerit: *mensa & toro.* Nam qui hoc modo minus sollempni manumittebantur, mensa quidem, sed non toro exaequabantur manumissoribus, cum quibus, quod *ALEXANDER* x) obseruat, non discumbebant super lectis, sed subselliis prope lectos positos sedebant. Sed ne plura de mensis dicamus!

b 2

§. II.

t) Notissima sunt loca *THEOPHIL.* ad §. *vlt. l. de libertin. CAII Inst. l. i. T. i. §. 2.* *PAPIANI Respons. Tit. 43.*

u) *Lib. 2. Epist. 6.*

v) de quo iure licet multa scripta sint doctissime, placet tamen & praestat inprimis nominare elegantissimam *Clari-*

rissimi Viri FRID. PLATNERI Icti Lipsiensis solidam iurisprudentiam ornantis dissert. *de usu hodierno diuisionis homin. in ciues & peregr.* §. 4. n. VI. & §. 5.

x) ad *CAII Instit. l. i. T. i. §. 2.* apud *SCHVETTING* in *Iurispr. Antequistin. pag. m. 14. n. 25.*



§. II.

DE TRAPEZOPHORIS.

Adcedamus potius ad *trapezophora*, quae & ipsa mensae sunt, aut pars mensae. Graecis enim τράπεζα est mensa, ex qua voce cum Φέρω composita τραπέζο-Φέρων proprie & simpliciter dicitur, quidquid mensam fert; quo sensu hanc vocem a CICERONE a) adhibitam adcipit optimus illius interpres, decus & ornamentum LIPSIAE & totius reipublicae litterariae, ipsarumque adeo humanitatis artium Vir Summe Reuerendus Clariss. ERNESTI b) &, quem vnicum forte cum tanto viro olim comparare licuit, praestantissimus GESNERVS. c) Talia signa & fulcra mensam sustinentia olim, vt & hodie fieri solet, ad hominis aut bestiae cuiusdam siue terrestris siue aquatilis speciem conformata fuisse notarunt viri docti. d) Sed est & alia eaque recentior huius vocis significatio, quam ex IVLIO POLLUCE eruit BRISSONIVS e), qua denotat mensam in qua vasa collocabantur, eamque propriam esse huius loci iam glossatores olim intellexerunt, qui vertebant hanc vocem: *caliculare*. Sunt ergo hoc loco eiusdem

a) *Lib. 7. Epist. ad Diuers. 23.*

b) in *Indice latinit.* qui est in praestantissimo opere *Clavis Ciceroniana* Edit. sec. s. v. *trapezophoros*.

c) in *nou. thes. L. L.* quem saepius laudauimus s. h. v.

d) HEINECCIUS ad BRISSON. *de V. S. l. h. v.* & ad quem prouocat IO. BRODAEVS in *Miscellan.* X. 20.

e) loco, quem modo diximus.



dem generis quam abaci, de quorum usu in exponendis vasis pretiosis in triclinio, more suo, id est elegantissime, differit, multaue veterum loca profert doctissimus *AVERANIVS* f), breuiter de iis quoque exponit *d'ARNAY*, g) nosque mox plura dicemus.

§. III.

DE DELPHICIS.

Eiusdem fere generis sunt *Delphicae*, ita enim scribere malo, quam vt vulgo legitur & scribitur: *delphicae*. Sunt autem mensae tripodes, ex eo dictae, quia *Delphis* primum fuerint, quod praeter *Auctorem Etymologici* cuius verba exscripsit *BRISSONIVS* a) firmat *PLINIUS* b) qui eas *donis maxime Apollinis Delphici dicatas esse* dicit. Et sane ab initio delphicarum mensarum usum sacrum fuisse satis testatur *CICERO* c) *VERRI* hoc obiiciens, quod tales e marmore confectas ex aedibus sacris Syracusis abstulerit. Deinceps vero adhibitas has mensas ad eundem usum fuisse, cui trapezophora & in genere abaci destinati erant, praeter *LVCIANI* locum

b 3

cu-

f) *Lib. 5. interpret. iur. c. 23. n. 3. Tom. 3. p. m. 261.*

g) in libello, quem supra laudauimus, qui in germanica versione nuper prodiit *Lips. 1761. von dem Privat-Leben der Roemer c. 3. p. m. 109.* Abacum & triclinium depi-

ctum exhibere *Notitiam Imper. fol. 59. refert I. GOTHOF. ad c. 1. C. Theod. de Castrensian. Tom. II. Edit. Ritt. p. 227. al. 230.*

a) *de V. S. f. v. delphica.*

b) *Lib. 34. hist. nat. c. 3.*

c) *Lib. 4. in Verrem c. 59.*

cuius mentionem fecit *BRISSENIUS*, d) satis adparet ex iis, quae vberius & ex instituto de delphicis disputarunt summi viri *CYLIACIUS* e) & *SALMASIUS*, f) qui tamen in eo dissentire quodammodo videntur, quod ille Glossam sequutus, delphicas pro ministerio etiam adcipiat, adeoque putet in delphicis exposita etiam fuisse vasa potoria, quae essent in ministerio seu in ipso communi usu, hic vero ministerium a delphicis plane separet, nec in his quidquam esse, nisi ad ostentationem & ornamentum expositum censeat; ubi late simul exponit modum, quo collocabantur haec vasa in exornandis abacis. In eo ambo viri doctissimi conveniunt, quod in delphicis tantum vasa potoria exposita fuerint, quod nescio an in dubium vocauerit princeps elegantiorum litterarum Vir summe & inprimis mihi quoque pie reuerendus Clariss. *ERNESTIUS* g) Quantus autem harum mensarum apud veteres fuerit splendor & quam insignis luxus vel ex materia adparet ex qua confectas eas fuisse antiqui scriptores tradunt. Ita ex ligno cedrino confectae pedibus eburneis occurrunt apud *XIPHILINUM* h) marmoreae erant illae, quarum *CICERONEM* i) meminisse supra diximus, & sunt aureae adeo apud *VALERIVM MAXIMVM*. l) Fecit & *PAVLVS* no-
ster

d) eodem loco, quem modo indicauimus.

e) *Lib. X. Obseruat. 13.*

f) in *miscellis defensionibus ipsius de variis obseruation. ad Ius Attic. & Rom. pertinen-*

tibus cap. 23. p. m. 498. sqq. g) in Indice latinit. v. abacus.

h) cuius locum in *Neron. ex-* scripsit *BRISSENIUS*.

i) *Lib. 4. in Verr. c. 59.*

l) *Lib. 4. Dictor. fact. mem. c. 1.*

ster alibi m) harum delphicarum mentionem, vbi eas ad instructam domum refert, de quo infra plura nobis dicendi commodior erit locus. Quae quidem hoc loco de mensis earumque generibus pro instituti ratione dixisse sufficiat.

§. IIII.

DE SVBSELLIIS.

Subsellia, pro quibus HALOANDER edidit: σούβελλια, etiam a PAVLO nostro inter ea relata, quae supellectili continentur, quae sint, eleganter ex ipsa vocis origine VARRO a) describit, dum a sedendo, ait, adpellantur sedes, sedile, sedum, sellae, seliquastrum, deinde ab his subsellium, vt subsipere, quod non plane sapit, sic, quod non plane erat sella, subsellium dictum. Vbi in eiusmodi duo, Bisellium dictum. Haec VARRO. Plura de subselliis eorumque discrimine disputat ISIDORVS HISPALIENSIS b). Multum autem fuisse & varium subselliorum vsum apud veteres docet omnis antiquitas. Nam vt taceamus ea, quae DIONYS. GOTHOFREDVS c) ex ASCONIO, CICERONIS antiquo interprete, d) obseruat, subsellia data esse Triumuiris, Quaestoribus, Iudicibus,

m) *Recept. Sent. L. 3. Tit. 6. §. 56.*

a) *Lib. 4. de L. L. c. 28.*

b) *Origin. L. 20. c. 11.*

c) ad locum illum VARRONIS in auctorib. lat. ling. iunctim editis Genev. 1622. pag. 1612. extr. seq.

d) A quo ad CICER. diuinationem p. 34. haec desumpta esse intelligimus ex eius loco a GESNERO in nouo thes. l. v. subsellium adducto, licet GOTHOFREDVS hoc non indicauerit.



bus, e) sellas fuisse curules & tribuales¹, f) quae satis nota sunt, hoc tantum addere lubet, fuisse subselliorum non solum in foro etiam ratione reorum vsus, g) sed in theatris quoque h), quod itidem non ignotum, & maxime etiam in auditoriis in quibus recitationes poetarum i) fiebant, & in quibus scholae Graecorum more habebantur, l) cuius generis sunt *subsellia cathedralaria* quorum ipse *PAVLVS* noster alibi m) mentionem fecit. n)

§. V.

e) Quod vnice de iudicibus priuatis intelligendum, his enim subsellia tribuuntur in antiquitate vid. *GELL. noct. art. L. 14. c. 2. f. 11.* Centumuiros vero sellis vsos esse tribunilibus docet *SICCAMA de Iudicio Centumuirali L. 1. c. 6. p. m. 25.* Adde *L. 2. c. 4. extr. p. 75. colat. cum p. 15.*

f) Quales ex nummis depictas exhibet V. C. insigne illud *Lipsiense* decus *CAR. FERD. HOMMEL in Iurisprud. numismat. illustr. monim. 6. 7. 115. 116.* Add. *BRISSON. Select. ant. L. 3. c. 15.*

g) Ita *accusatorum subsellia* sunt in *CIC. orat. pro Rosc. Amerin. c. 6. f. 17.*

h) Quod nisi aliunde constaret vel ex solo *SVETONII* loco in *Aug. c. 44.* satis doceri poterat. Conf. *V. S. R. Cl. ERNESTI in Clavi Cicer.*

i) de quo subselliorum vsu deinde differit *IUST. LIPSIUS* in Epistola *de recitationibus* apud *SICCAMAM* libello, quem diximus, *p. m. 105. sqq.*

l) de his scholis pro more suo, id est elegantissime & doctissime, exposuit *Vir de bonarum artium studio insigniter meritus Cl. IO. DAN. OVERBECK*, quem honoris causa nomino, olim praeceptor meus dum anima spirabo mea pie colendus, in libello quo indicat inaugurationem *Conrektoris & Subrektoris Gymnasii Lubecensis a. d. 30. Iun. 1763.* factam.


m) in *c. de tapetis 5. pr. D. de supellect. leg.*


n) Esse illa subsellia posita auditoribus honoratioribus proxime ante suggestum recitantis docet *LIPSIUS*, loco, quem laudauimus.


tis
o-
g)
m,
es
um
le-
em
V.
le-
E-
ud
iri-

so,
tis-
um
ri-
C.
no,
um
en-
in-
C
en-
n.
de

ur-
ro-
ur-
en







the scale towards document

✻ ✻ ✻

15

um delphicarum mentionem, vbi eas
num refert, de quo infra plura nobis
rior erit locus. Quae quidem hoc lo-
umque generibus pro instituti ratione

§. IIII.
DE SVBSELLIIS.

pro quibus HALOANDER edidit: *scou-*
a PAVLO nostro inter ea relata,
continentur, quae sint, eleganter
gine VARRO a) describit, dum a *sedem-*
ur sedes, sedile, sedum, sellae, seliqua-
is subsellium, ut subsipere, quod non plane
plane erat sella, subsellium dictum. Vbi
isellium dictum. Haec VARRO. Plura
amque discrimine disputat ISIDORVS
Multum autem fuisse & varium sub-
apud veteres docet omnis antiquitas.
ea, quae DIONYS. GOTHOFREDVS c) ex
IS antiquo interprete, d) obseruat, sub-
Triumuiris, Quaestoribus, Iudici-
bus,

Tit. 6. §. 56. d) A quo ad CICER. diuinatio-
nem p. 34. haec desumpta esse
intelligimus ex eius loco a
GESNERO in *nouo thes. l. v. sub-*
sellium adducto, licet GOTHO-
FREDVS hoc non indicauerit.

28.
I.
VARRONIS
g. iunctim
pag. 1612.